

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8675

Auteur(s) : Robert Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1191, 6 mai-1217, 8 septembre]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

TROISIÈME CHARTRE DU MÊME ROBERT COMTE D'ALENÇON. — Philippe de Randonay et Odon Cotinel, deux gardes des forêts d'Écouves, de Bourses, de Perseigne et de Blavou, appartenant à Robert, s'étaient opposés à ce que les moines de Perseigne prissent du bois dans ces forêts pour l'envoyer dans leurs possessions éloignées, comme celles de Clairefontaine près le Mans, de Ballon, de Fresnay, etc. L'abbaye protesta et réclama du comte Robert l'exécution des promesses de ses prédécesseurs et le respect de leurs volontés exprimées dans les chartes dont elle pourrait justifier. Robert reconnut les droits et par cette charte, confirma la jouissance que revendiquait l'abbaye de Perseigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° IX, p. 22-24.

Dissertation critique

Robert Ier succède au comte d'Alençon à son frère Jean II (mort le 6 mai 1171) et meurt le 8 septembre 1217.

Texte d'après a

Ego Robertus comes Alenconis filius Johannis comitis filii Willermi comitis Pontivii et Alenconis omnibus christiane fidei cultoribus presentibus et etiam posteris salutem et testimonium veritatis. Notum fieri volo universitati vestre quod cum dissensio seu discordia oriretur inter monachos Beate Marie de Persenia ex una parte, et Philippum de Randonayo et Odonem Cottinel custodes forestarum mearum de Escobis et Bursa, de Persenia et Blavone, super his videlicet quod dicti custodes proponerent dictos monachos eorumve mandatum ligna, circulos, et merrenia de dictis forestis earumque pertinentiis ad domos, habergamenta et pressoria sua de Clarofonte juxta Cenomanum, de Charbonariis, de Colonis, de Baladone, de Freneyo, et de Bellomonte, ad habergamenta, medietarias de Villa-Picta, de villa Freneyo, de Villeta, de Viridimonte, de Siliaco Guillermi, de Braetel et de Columbariis, Doucelle sepius detulisse, cum predicta non sint sita in territorio seu dominio terre mee, presertimque cum hoc de jure et consuetudine multarum forestarum facere non deberent. Dictis vero monachis se ad hec opponentibus et dicentibus se in dictis forestis et earum qualibet et in locis quibuscumque ad easdem conjunctim vel divisim pertinentibus, usagium suum ad omnia sibi necessaria et utilia et omnium animalium suorum herbagium, pasnagium et pasturam a sui fundamenti principio cepisse, exspectasse libere, pacifice et quiete, et etiam hactenus habuisse. Tandem visis cartis ipsorum et privilegiis, ego predictus comes, sciens et intendens antecessores meos ad prefatum monasterium et Persenie amorem et devotionem maximam habuisse, in quo etiam,

ob specialem amorem et devotionem, corpori quoque meo elegi ultimam sepulturam, dedi jam dictis monachis et successoribus suis et concessi, et adhuc eisdem do et concedo, usagium suum ad omnia et singula loca predicta et ad eorumdem pertinentia et dependentia in dictis forestis et nemoribus meis et earumdem pertinentiis videlicet tam in haais, parchis, quam in defaais et defensis, antiquis et novis et etiam ad domos decimarias et alias ipsorum monachorum de Montigneio, de Uncinis, de Goduchon, et de Plantheis, ad habergamenta etiam medietaria de Alba-Spina, de Aprella, de Sarchofago ; et ad omnes alias domos ipsorum factas et faciendas, ad loca et habergamenta eorumdem reparanda, reficienda et edificanda, in quibuscunque locis, feodis, territoriis et parrochiis existentia ; ad circulos propter tonas ipsorum monachorum et dollia ad pomos et pirus et alia propter reparationem molendinorum eorumdem et ad fructus necessar[ia] arborum predictarum ; ad carbones faciendos propter usus fabricarum ipsorum, et ad frectas similiter faciendas et quodlibet genus cujuscumque instrumenti sibi necessarii, et omnium porcorum ceterorumque animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturas. Volo insuper, precipio et concedo quod per nonusum ipsis vel successoribus suis, nullum prejudicium generetur. Unde omni qua possum autoritate prohibeo ne a ministris et heredibus meis aut eorumdem servientibus et alocatis, super premissis, vel aliquo ipsorum, et in aliis concessionibus, immunitatibus, justitiis, rebus, possessionibus, et libertatibus a me et antecessoribus meis eisdem monachis datis et concessis, valeant impediri de cetero vel turbari. Et volo ac constituo heredes meos ac etiam omnia mea, ad omnia et singula premissa observanda et adimplenda specialiter obligari. Quod ut firmum ac stabile permaneat pro eterna memoria presentem chartam sigilli mei munimine roboravi. Testibus his domino Lisiardo sagiensi episcopo, Henrico....., sagiensi, R..... de Nuilleio, R..... de Guarrenis, M..... et A..... capellanis comitis, venerabili Adam abbate Persenie, R..... priore, Willermo cellerario..... Johanne presbitero de Mamerto et pluribus aliis.